



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-/berstattensis, De Varietate//
librorum, siue de Amore cœlestis// patriæ libri. III. ...**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 231

VI De resurrectione & vita Sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29814

LIBER PRIMVS

Caput VI.

REsurgent igitur Sanctorum corpora sine villo
vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla
corruptione, onere, difficultate. In quibus rata faci-
litas, quanta felicitas erit. Receptis cum incorrupti-
one atq; immortalitate corporibus, municipatum
patriæ cœlestis accipient, atq; eius in eternū ciues ef-
fecti promissa præmia reportabunt. Ibi eis exubera-
bit tanta læticia, tanta cœlestium gratia gaudiorum,
vt remuneratori suo pro tantis muneribus gratias
agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentia bono-
rum perceptione sustineant. Ibi nō latebit perfecte
beatos aliquid secretorū, qui, quod est longe præstā-
tus, ipsum visuri sunt mūdis cordibus Deum. Quā-
doquidem humana creatura ita perfecta erit, vt in
melius aut deterius vltra mutari non possit. Quic-
qd hic humanis corporib; vitiandis, aut ferarū mor-
sus ademerit aut improviso casus abstulerit, aut ma-
larum valetudinū genera diuersa decerpserint, aut
humana crudelitas amputauerit, aut si ignis vel qli-
bet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipsa senes-
cens etiam sanis onerosa negauerit, hæc atq; his simili-
lia corporū damna, vna ibi resurrectio reparabit, at
que ea corpora membris omnibus instaurata incor-
ruptibilis sanitas optinebit. Statum em illius sancte
resurrectionis ac perpetuae vite cōsideremus, in quā
nobis considerare possibile est, & vt em vere est,
cōprehendere nullus sermo sufficiet, sed quantū pos-
simus ex his q̄ legimus, & per enigmata accipim⁹, re-

HAY. DE VARIET. LIB.

nuem quandam opinionem de ea capiam°. Dicitur de ea quodam loco: quod aufugiet ibi dolor, & tristitia, & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non est paupertatis metus, nō ægretudinis ledit iniuria? Ne

Aug. mo irascitur, nemo inuidet, nulla cupiditas exardest, nullum ibi desiderium, nulla honoris pulsat ex postestate ambitio, sed omnis vitiorum labes fopita & penitus extincta est, pax cuncta continet & læticia. Trāquilla sunt omnia & quieta, iugis splendor & lux, nō ista quæ nunc est, sed tanto splendidior, tanto clarior, quanto splendidior nūc sol est lucerna. Nulla ibi nox, nullæ tenebræ, cōcursus nullus nubium, nulla frigoris, nulla ardorū asperitas. Non est ibi senectus nec senectutis miseria, sed omne quicquid corruptionis est exultat, & gloria incorruptionis cuncta circundat. Vnde per Paulum dicitur: Ipsa creatura libe-

Ro.8. raliter à seruitute corruptionis, in libertatē gloriæ filiorum Dei. Electos enim nunc pœna corruptionis ag-

Grego. grauat, sed tūc incorruptionis gloria exaltat, & quam tum ad presentis necessitatis pondera nunc in Dei filijs de libertate nihil ostendit. Quantū vero ad subsequentis libertatis gloriam, tunc in Dei famulis de seruitute nihil apparebit. Creatura ergo seruitute corruptionis exuta, & dignitate libertatis accepta, in filiorū Dei gloriam vertitur, quia unita Deo per spiritum, quasi hoc ipsum quod creatura est, trāsisse ac subegisse declaratur.

Quod detrimenta angelicæ ruinæ ex sanctis reparantur hominibus.